Q. B. V. D.

OBSERVATIONES
MEDICO - PRACTICAS SELECTIORES
DE
MORBIS
[C]OMPLICATIS ET INTRICATIS, EORVNDEMQVE DIAGNOSIN ET CVRAM

CONSENSV

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

IN ALMA LEVCOREA

SVB PRAESIDIO

[D]N. D. CHRISTIANI VATERI

THOLOG. P. P. ET PHYSIC. PROV. SAX. CONSILIARII CVR. ET ARCHIATR. ANHALT. ETC.

[D]OMINI PATRONI, PRAECEPTORIS ET STVDIORVM SVORVM PROMOTORIS

OMNI OBSERVANTIA AETERNVM COLENDI

PRO LICENTIA

[S]VMMOS ET DOCTORALES IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQVENDI

D. NOVEMBR. ANNO MDCCXXVIII

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM SVETIS ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET

IACOBVS KOPPEHELIVS

IVTREBOCENS. SAXO.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE

PERILLVSTRI
T EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
GEORGIO GVILIELMO
DE
MAHRENHOLTZ
S. R. I. LIBERO BARONI
POTENTISSIMI
AGNAE BRITANN. REGIS
VBICVLARIO INTIMO, ET COLLEGII
ANONICOR. TEMPLI CATHEDRALIS
QVOD MAGDEBVRGI FLORET,
SENIORI ET CANONICO
SPLENDIDISSIMO, GRAVISSIMO ETC.
NASTAE IN GROSSCHWÜLPER, NIENHAGEN,
SYLDA, DÖHREN ETC.
OMINO ET MAECENATI SVO
GRATIOSISSIMO

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRA[L]

IN SVBIECTISSIMAE MENTIS TESSERAM

ET GRATISSIMAE MEMORIAE DOCVMENTVM

CVM VOTO PERPETVAE FELICITAT[IS]

SACRAM ESSE CVPIT ET OFFE[RT]

RESPONDENS



PROOEMIVM.

Si morborum fere omnium cura admodum laborioſa et difficilis, illorum certe prae caeteris talis eſt, ubi plures, iique ſaepius diuerſi, ex uariis, imo inter ſe contrariis cauſis, in diuerſis quoque uiſceribus latentibus, oriundi, in uno eodemque aegro concurrunt, ita, ut Medicus in conſilium et auxilium uocatus, primo intuitu ſaepe neſciat, quis, qualis et quantus ille ſit? quis alteri praeualeat, plus urgeat, plus periculi habeat, opemque citiorem prae aliis ſibi poſtulet? niſi ratione et experientia ſatis inſtructus, o-

mnium illorum eorundemque cauſarum, et ſubiectorum radicalium ſigna diagnoſtica non ſolum, ſed etiam prognoſtica certa et infallibilia ſatis intelligat, et ex arena ſtatim, uti dicitur, conſilium et auxilium, cuiuis cauſae accommodatum ferre poſſit: Saepiſſime etiam unus alterum, imo plures morbos in uno eodemque ſubiecto, eodem tempore excipit, producit, auget et mutat, ut neuter eorum absque reliquorum reſpectu iudicari, uel curari queat. Vnde ſane apparet, quanta prudentia et circumſpectione opus ſit, ne Medicus in curandis eiusmodi aegris ipſe fallatur et alios fallat, ſed quemlibet morborum complicatorum accurate diiudicet, quomodo inter ſe cohaereant, quisnam prae aliis praeualeat, uel alios producat, foueat, uel augeat, probe diſtinguat. Id quod uno uel altero exemplo, quae inter aegros MAGNIFICI DN. PRAESIDIS obſeruaui, nunc illuſtrare et confirmare conabor.

Observatio I.

Aeger LVI. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, genio ſuo, imprimis irae aliisque animi pathematibus maxime indulgens, a duobus fere annis praeter dolores arthriticos, cum tumore et inflammatione pedum ſaepe coniunctos, tandem ſingulis fere diebus, magis tamen noctu, tam hyeme, quam aeſtate, ſudoribus nimiis, et purpura fatigabatur, tandem, interueniente graui alteratione et terrore, ſimul aſthma cum ingenti praecordiorum anxietate, tuſſi ſicca et dolore pectoris punctorio, quaſi urente et usque ad ſcapulas ſe extendente, accedebat, quem mox tuſſis humida cum expectoratione larga ſputi cruenti et purulenti ſequebatur. Hinc quaerebat, qualis ſit morbus? unde oriatur? an et quomodo curari poſſit et debeat?

Thes. I.

Ex omnibus iſtis circumſtantiis ſtatim apparet, morbum hunc non ſimplicem, ſed pluribus aliis complicatum eſſe; concurrunt enim hic ſigna pathognomonica Cachexiae ſcorbuticae, in ſpecie calidæ et ſiccæ, porro arthri- *Diagnoſis et Prognoſis.*

arthritidis et podagrae inflammatoriae, ſudoris colliquatiui, cardialgiae, aſthmatis, tuſſis, modo ſiccae, modo humidae, imo corruptionis et exulcerationis pulmonum, indeque ortae haemoptyſis et ſputi purulenti; qui ſane morbi omnes ita comparati ſunt, ut uel unus ex his mortem inducere poſſit.

Thes. II.

Scorbutus. Et quidem Cacochymiam ac Cachexiam iſtam ſcorbuticam iam tum ab aliquot annis fomitem ſuum habuiſſe in aegro hoc, teſtatur eius temperamentum cholericum ſiccum haereditarium, annis creſcentibus et deinde accedentibus erroribus in diaeta uariis ſucceſſiue auctum, quando a iuuentute genio ſuo, irae imprimis, uti referebant, et uini potui largiori indulſit ſaepius.

Thes. III.

Arthritis uaga. Ex eadem Cacochymia ſalſa et acri etiam ortum ſuum habebat arthritis et podagra, tumoribus extremorum eriſypelaceis comitata; Ea ſiquidem pro diuerſitate ſubiectorum, temperamentorum, aliarumque cauſarum concurrentium huius affectus indoles eſt, ut

ut modo ſine tumore et inflammatione, modo cum eadem, ut in noſtro aegro, affligat; ubi ſcilicet ſanguis eiusdemque ſerum impuritatibus ſalinis, plus minus acidis uel ſalſis, uiſcidis nec non bilioſis refertum, reperitur, neceſſario inter partes extremorum membranoſas eo magis turgeſcit, fibras nerueas ibidem diſtendit, pungit et premit, unde dolor tam acutus inducitur; imprimis circa ueſperam et noctem, ubi propter aëris denſitatem maiorem, humores eiusmodi morboſi magis inſpiſſantur, conſequenter tranſpiratio difficilior redditur, indeque dolores eo magis augentur.

Thes. IV.

Idem ſerum uiſcidum, ſalſum et acre circa praecordia, inter uentriculi non ſolum, ſed etiam hepatis et lienis, imo et pulmonum uaſa congeſtum, et in motu ſuo impeditum efficiebat quoque aſthma illud diſtenſiuum et conuulſiuum. Quam facile enim fieri poteſt, ut ſanguis eiusmodi ſalſus uiſcidus, ad ſtagnationem alias procliuis, ab aëre frigido, per reſpirationem continuam hauriendus, in illis locis eo magis reſtitet, conſequenter motum *Aſthma conuulſiuum.*

diaphragmatis et musculorum thoracis, quem respiratio maxime requirit, impediat.

Thes. V.

Exulceratio pulmonum.

Ipsorum uero pulmonum tunicas et uesiculas eodem sanguine et sero feruido iam tum erosas fuisse, testabatur non solum dolor urens in pectore, usque ad dorsum se extendens, sed etiam reiectio sputi copiosi sanguinolenti et purulenti; quae reiectio, quia non per uomitum, neque screatum, sed cum tussi e profundis thoracis reiiciebatur, non nisi ex ipsis pulmonibus, et quidem dextro eorum lobo, uti dolor indicabat, oriri poterat.

Thes. VI.

Sudores coacti et nimii.

In tantis angustiis praecordiorum, ubi neque in corde, neque pulmonibus, aliisque uisceribus uicinis sanguis liberum suum motum inuenire poterat, mirum non erat, quod in transitu suo adeo impeditus in se magis incalescat, eoque ipso serum in halitus illos uaporosos eius, seu sudores excessiuos et colliquatiuuos fere et continuos redigeretur.

Thes.

THES. VII.

Imo quoniam, uti antea uidimus, tota ſanguinis maſſa ſalibus peregrinis abundabat, partes eorum ſubtiliores una cum ſero quidem expellebantur, ſed ſub cuticula denſiore ab aëre ambiente rurſus condenſabantur, unde fit, quod glandulae illae ſubcutaneae intumeſcant, rubeſcant, et purpuram diuturnam ſcorbuticam, absque tamen febre, conſtituant. Huius enim purpurae ſcorbuticae ea indoles eſt, ut per eandem, tanquam criſin quandam, licet imperfectam, impuritates quaedam ſalinae ſubtiliores excludantur, et ſymptomata ſcorbutica quodammodo mitigentur, cauſa tamen radicalis, id eſt ſalinae fixiores et craſſiores partes non tolluntur, unde etiam fit, quod aegros ſuos diutius comitetur, modo augeatur, modo imminuatur, pro diaetae et uitae ratione; et niſi febris accedat, per plures menſes, imo annos durat. *Purpura ſcorbutica.*

THES. VIII.

Atque ex his iam ſatis apparet, in quanto uitae periculo aeger hic uerſetur, et quantum ſpei ſanitatis recuperandae adhuc *Cura neceſſaria.*

ſuperſit. Nihiloſecius, quoniam charitatis chriſtianae leges nullis aegrotantium, etiamſi deſperatis et prorſus incurabilibus auxilium denegare iubent, et ubi malum tolli penitus nequit, ſymptomata tamen mitigari et uires recreari poſſunt, ideoque neceſſum hic erat, ut cura hic ante omnia ad ſanguinis bilioſi acris correctionem, impuritatum uero ſeroſarum euacuationes dirigeretur; eo ipſo quoque ulcus pulmonare abſtergatur, mundetur, ulterior corruptio impediretur, inflammationi, febri, ſudoribus nimiis, aliisque ſymptomatibus, quantum poſſibile, reſiſteretur.

Thes. IX.

Per alterantia. Ad ſanguinis et reliquorum humorum correctionem prae caeteris proficua uidebantur decocta et infuſa e Radice Chinae, Ireos flor. helenii, pareir. brau. polypod. q. liquirit. farfar. c. tot. Herb. Agrimon. Arnic. ſcabioſ. beton. plantag. acut. hyſſop. rorellae et ſimilibus balſamicis, utpote quibus tepide, loco Theae hauſtis, ſimul expectoratio et abſterſio ulceris pulmonaris promoueri, ac ulterior corruptio inhiberi poteſt. Quibus tamen

men etiam Eſſentiae et Miſturae ex eiusmodi plantis balſamicis, in ſpecie Elixir. pectorale balſam. aſthmat. Mich. Eſſent. balſam. peruuian. eiusdemqueSyrupus, magiſtralis dictus, et ſimilia iungebantur. Imo ut acredo humorum mitigaretur et inflammatio ac febris praecaueretur, interponi debebant pulueres et potiones alterantes et abſorbentes e Lap. 69. Matr. perlar. Corall. Ebor. Antehect. Poter. Croco ♂tis, in ſpecie pulu. alter. antehect. et electuar. antiphtiſic. DN. D. PRAESID. Nec uenae ſectio repetita ob easdem cauſas, imprimis quoque ad haemoptyſin praecauendam, omittebatur.

THES. X.

Per laxantia.

HIsque interponere neceſſum erat blanda laxantia ex Decoct. fol. ſenn. cum liquirit. Rhabarb. et puluеres e Gialapp. Mechoacann. alb. cum ⊕ depurat. ♂to item Pilul. e gummat. c. ☿ d.

THES. XI.

Et confortantia.

DE caetero tamen etiam opus erat, ut uentriculi et reliquorum uiſcerum ratio ha-

 beretur,

beretur, eorundem tonus, digeſtiones et ſecretiones, quantum poſſibile, conſeruarentur et inſtaurarentur, ne ſubinde nouae impuritates et cruditates generarentur: Cui ſcopo, praeter priora commendata, etiam ſequentia, obſeruata, tamen ſimul meliori diaeta, nimirum Eſſentiae antiſcorbuticae et ſtomachicae temperatae cum ſpiritu ſal. uel vitriol. dulc. auctae inſeruire poterant: Quibus omnibus etiam, ſecundum indicationes debita quantitate, tempore et modo prudenter et conſtanter uſurpatis, effectus ſalutaris ſequebatur, adeo, ut licet purpurae, ſcabiei inſtar perduret, Aeger tamen remittentibus reliquis ſymptomatis adhuc ſat bene ualeat et uiuat.

Observatio II.

Vir Illuſtr. ſexaginta fere annorum temperamenti ſanguineo-phlegmatici, et habitu corporis laxiori praeditus, licentiore quodammodo et delicatiore in iuuentute diaeta educatus, poſtea uitae ſedentariae et curis publicis deditus, paſſionibus hypochondriacis, praecordiorum anguſtia, cardialgia, aſthmate, obſtructionibus alui, nec non doloribus capitis

graua-

grauatiuis et arthritidis uagis affligebatur: Quibus deinde aurium ſtrepitus et tinnitus, auditus difficultas, nec non uertigo, obſtructio narium continua cum ſtillicidio ſeri et ſputi copioſi reiectione accedebant; Hinc apoplexiam aliaque mala grauiora metuens, conſilium et auxilium efflagitabat.

THES. I.

Cauſae et origines horum malorum.

Ex hac relatione ingens rurſus complicatio plurium morborum et ſymptomatum patescit, eoque ipſo iudicare licet, quam difficulter et quanta circumſpectione aegri tales curari poſſint. Fundamentum uero et principium primum horum malorum omnium procul dubio temperatura ipſius ſanguineo-phlegmatica et conſtitutio corporis laxior fecerunt, quibus deinde educatio licentior et diaeta delicatior acceſſit. Haec enim ſingula, licet per ſe non adeo noxia uideantur, tamen quam maxime etiam nocere poſſunt, niſi cum prudentia moderentur et digerantur. Non imnus fieri poteſt, ut alimenta et potulenta, etiamſi in ſe ſatis bona, niſi debita quantitate, tempore et modo adhibentur, a uentriculo teneriore et laxiore, qualis in

Aegro

Aegro reperiebatur, minus recte digerantur, nec non reliquis uiſceribus depuratoriis et ſecretoriis ſatis perficiantur; exinde cruditates et impuritates in uiſceribus reliquis aeque laxis non ſolum diutius, quam par eſt, retinentur, ſpiſceſcunt, aceſcunt, aut plane putreſcunt, ſed eo ipſo quoque nouis quotidie cruditatibus occaſionem et fomitem praebent, praeprimis, quando uita ſedentaria, uti in hoc aegro noſtro, et animi pathemata accedunt. Quemadmodum enim motus et exercitationes corporis, ſi recte inſtituuntur, prae omnibus aliis calorem uitalem excitant et conſeruant, eo ipſo digeſtiones et ſecretiones omnium uiſcerum optime promouent, ita e contrario, deficientibus illis, cruditates augentur, cumulantur, inter ſe fermenteſcunt, fermenteſcendo flatus et paſſiones hypochondriacas omnes excitant. Animi quoque pathemata grauiora interuenientia, imprimis ira, propter uehementes commotiones animi, eo magis motum ſanguinis et reliquorum humorum confundunt, eorum digeſtiones et ſecretiones in uiſceribus depuratoriis, praecipue bilis colatoriis, hepate et liene impediunt, atque ſic oleum quaſi igni addunt, et malum malo augent.

Thes.

THES. II.

Humores et inprimis flatus eiusmodi acres, nidorosi in uentriculo et intestinis collecti et conglomerati necessario orificium eiusque partes uicinas nerueas rodunt, irritant et sic cardialgiam, in intestinis uero et imprimis colo accumulati, ea admodum distendunt partes omnes uicinas, in specie diaphragma eorundemque neruos premunt, uellicant, unde ubiuis motus spasdicos, anxietates istas praecordiorum et respirationem difficilem efficiunt; praecipue post cibum sumptum quando ob digestiones turbatas, flatus cumulantur circa uesperam, ubi propter aërem tum temporis densiorem et corporis quietem fuligines tales discuti et transpirare nequeunt.

Cardialgiae et praecordiorum angustia.

THES. III.

Eaedem impuritates uiscidae, salsae, quoniam diuturnitate temporis etiam massam sanguinis et reliquorum humorum inquinarant, fieri non poterat, quin ab eorundem acrimonia partes membranosae et plexus neruosi in lumbis et articulis grauiter irritarentur, indeque dolores nephritici excitarentur,

Nephritidis et Arthritidis.

iique modo uagi, quando ab animi pathematibus uel etiam medicamentis salia mouebantur, modo fixi, quando ob uiscíditatem nec non aeris constitutionem densiorem magis stagnabant.

Thes. IV.

Doloris capitis.

Sed multo magis affligebant dolores capitis grauatiui, ab eiusdem sanguinis et seri uiscidi, acris uersus caput et cerebrum congestione et stagnatione oriundi. Nullibi in toto corpore serum eiusmodi morbosum, uiscidum et salsum magis restitare solet, quam in capite eiusdemque membranis et meningibus, imo ipso cerebro. partim propter summam teneritatem, exilitatem et angustiam uasorum omnium, eorundemque plexus mirabiles, partim etiam, quod caput aëris mutationibus et iniuriis magis pateat: Quando igitur succi isti liberum in iis transitum et circuitum inuenire nequeunt, necessario eorundem membranulas premunt, distendunt, uellicant, aut plane erodunt, et dolores inducunt plus minus acutos, uel grauatiuos pro maiori uel minori copia et acrimonia seri, partiumque laesarum teneritudine.

THES. V.

Ab eadem colluuie ſeroſa, circa auditus organa reſtitante, dependebat quoque auditus difficultas, ſaepe tanta, imprimis tempore pluuioſo et frigido, ut nullum fere ſonum aeger percipere poſſet; Auditus ſiquidem requirit non ſolum ſucci ſpirituoſi liberum per neruos auditorios influxum, ſed quoque membranularum et fibrillarum debitam ſiccitatem et elaſticitatem, ut a ſono quocunque allabente membrana tympani tremorem recipere, et tremorem receptum, per neruuos auditorios ad thalamum eorum transferre poſſint, id quod in noſtro aegro fieri non poterat, quamdiu nerui auditorii fibrillae nec non muſculi interni et membranulae a ſeri colluuie obruebantur et relaxabantur. *Difficilis auditus.*

THES. VI.

Eadem colluuies ſeroſa manifeſtabat ſe ſatis in glandulis et membranis faucium et narium per Coryzam diuturnam et ſputum copioſum, quae tamen minus periculi habebant, quoniam cauſa mali eo ipſo potius imminuebatur, modo natura debitis remediis adiuuaretur; *Coryzae et ſaliuae largae.*

Vertigo. Sed uertigo frequens indicabat motum, itus et reditus ſucci neruei quoque intra ipſum cerebrum ab eodem ſero ibidem reſtitante impediri, unde, omnino in Apoplexiam, quam metuebat Aeger malum degenerare potuiſſet, niſi remediis ſequentibus, methodice adhibitis, curatus fuiſſet.

THES. VII.

Therapia instituta. Quoniam ſcilicet mala iſta omnia a cacochymia ſeroſa, uiſcerumque digeſtoriorum obſtructione et praua digeſtione originem ſuam habebant, ideo praecipuam curam eo ſtatim dirigendam eſſe, ipſa ratio ſuadebat, mediantibus eiusmodi remediis, *Per alterantia appropriata.* quae cruditates et impuritates uiſcidas, acidas, et ſalſas corrigunt, reſoluunt, eo ipſo obſtructiones uiſcerum reſerant, uiſcera ipſa roborant et digeſtiones eorum promouent. Qualia ſunt Eſſentiae amarae balſamic. ſtomachic. carminat. DN. D. PRAESIDIS, Eſſent. anthos. Caſtor. Elix. propr. c. et ſ. a. Vitriol. Mynſicht. Clyſſ. alcal. Spirit. Nitr. et Sal. dulc. Recip. Eſſent. Carminat. Caſtor. ana. unc. I. Elix. prop. Spirit. Nitr. dulc.

ana

ana. drach. ij M. dentur singulis tribus horis LX. gutt. uel ultra ℞ Ess. Carminat. unc. j. Cort. Aurant. rosmar. ana. unc. ß Spirit. Vitriol. dulc. drach. ij. Misc. det. 80. gutt. inter cibandum. Horum effectum non parum promouebat uinum, quo alias delectatur, sed medicatum, ex eiusmodi balsamicis et tonicis compositum. ℞ Rasur. L. Sassafr. unc. ß. Rad. Helen. Gentian. ana. unc. j. galang. Cort. arantior. Select. ana. drach. ji. Cinam. acut. unc. ß. Summitat. Rosmarini mjj. praeparentur ad chartam pro 2½ mensur. Vini ante prandium et coenam sumendum. Gaudet Rosmarinum egregio sale uolatili oleoso balsamico et suaui, non solum exsiccante et resoluente, sed etiam tonum uiscerum omnium, ipsiusque cerebri & neruosi generis corroborante; unde in affectibus eiusmodi, a phlegmatis copia, uiscerumque laxitate oriundis, mirifice prodest, modo iusto tempore et loco adhibeatur, ℞ Ras Sassaffr. unc. ß. fol. melissl. rosmarin. ana. Mij. flauedin. citri drach. ij. M. loco Theae usurp. ℞ Aquae faenicul. chamoem. compos. Menth. S. V. ana unc. ji. Carminat. Cinam. opt. ana. unc. ß. Spirit. Nitr. dulc. drach. j. Syrup Cort. Arant. q. s. Misc. det. cochleatim, quandocunque flatus et

tormina uentris adsunt. Vel ℞ Aquae. serpill. comp. Dn. D. Praesid. ℥ij. edulcor. sacch. q. s. det. eodem modo.

Thes. VIII.

Per laxantia debita.

Hisque et similibus diligenter continuatis, praeterea necessum erat, ut impuritates serosae blandis laxantibus, e. g. Pilul. de Gummat. de Succin. Craton. correct. Aleophangin. uel Magistral. Dn. D. Praesidis, conueniente Dosi per interualla adhibitis euacuarentur. Item Recip. pulu. Gialapp. opt. Trageae aromat. ana. scrupul. ß. Resin. Scammon. gr. ij. uel iij. Misc. det. in uino; qualis puluis serum efficaciter ducit, nec uentriculi tonum laedit.

Thes. IX.

Per sudorifera.

Imo quoniam seri copia iam tum caput et cerebrum occuparat, ibidemque per nares et aures exitum quaerebat, consultum erat, ut exitus illius promoueretur per resoluentia interna e. g. Liq. C. C. succin. Spirit. bezoard. Sal ammoniac. anisatum et similia ℞ Essent. rosmarin. unc. j. Succin ambr. sal. uol. oleos. ana drachm. ij. M. dos. L. LX. gutt. His addebantur quoque errhina blandiora,

diora, itemque masticatoria et gargarismata tepida, nec non frictiones capitis et nuchae, ad promouendam coryzam et saliuam. Ab auribus uero, quoniam locus ille minus conueniens erat, quantocyus per dicta resoluentia, et cum periculum sit in mora, simul per uesicatoria, scapulis et nuchae applicata, abstrahebatur. Venae sectionis uero hic nullus usus erat, nisi forte febrilis dispositio aut inflammatio interna superuenerit. *Per Errhina et Vesicatoria.*

THES. X.

Reliquis symptomatibus, passionibus nimirum hypochondriacis, praecordiorum angustiae, alui obstructionibus aliisque, antea iam commendata alterantia, laxantia et carminatiua satisfaciebant. Insultibus et doloribus arthriticis resistendis et mitigandis praeter priora quoque Decoct. et infusa antiscorbutica balsamica e. g. Rad. Chinae, Sassaparill. Aristoloch. long. Cichor. Helen. Liquirit. herb. trifol. fibrin. chamaedr. chamaepyt. etc. et pulueres neruin. Cephal. Mich. antispasmod. DN. D. PRAESID. cum arcan. dupl. Nitr. antimon. et depurat. etc. inseruiebant. Ita per Dei gratiam Dn. Aeger ab apoplexia adhuc immunis uiuit.

OB-

OBSERVATIO III.

Aeger ſexaginta circiter annorum, antea temperamenti ſanguinei et robuſtae alias conſtitutionis, genio ſuo imprimis, cibis acidis, muria et ſale conditis delectans, nunc uero ſenex phlegmaticus, ob curas multas et terrorem grauem, ab incendio periculoſo in uicinia orto eo ſtatim tempore ſentit languorem totius corporis, anorexiam, mox inflationes hypochondriorum, cardialgiam, aſthma et nephritidem: tandem quoque accedit totalis cachexia, facies pallida, tumor pedum oedematoſus et per uices diarrhaea ſeroſa, nec non indicia hemorrhoidum. Vnde adhibentur quidem remedia uaria, ſed absque leuamine, quin potius priora ſymptomata augebantur, imprimis aſthma, noctu magis urgens, cum ſtertore, ut ſuffocationem et catharrum ſuffocatiuum metuat; igitur conſilium et auxilium ſubitaneum efflagitabat.

THES. I.

Prognoſis. Reſpondebatur affectum hunc omnino maxime periculoſum et curatu difficillimum

fore

fore, non ſolum propter ſyndromen Symptomatum multorum, nempe malum hypochondriacum ſeu, obſtructiones uiſcerum inueteratas indeque ortam cacochymiam, tonum quoque illorum omnium debilitatum ſed etiam ſenectutem grauiorem, quae per ſe morbus eſt, ingruentem Monebatur igitur ante omnia, ut obſeruata impoſterum meliori diaeta, ab omnibus acidis, acido ſalſis, uiſcidis, flatulentis et obſtruentibus, tam alimentis, quam potulentis abſtineret, e contrario uero alimenta boni ſucci facilisque digeſtionis, nec non potum tenuem defecatum et lupulatum, eumque ueſperi parcius ſumendum eligeret. *Diaeta neceſſaria.*

THES. II.

Deinde opus erat remediis ſelectioribus, quae obſtructa uiſcera illa aperirent, tonum eorum ſimul, quantum pro ratione aetatis iſtius licet, reſtituerent, impuritates ſenſim et leniter per uias debitas euacuarent, eoque ipſo ſymptomata non ſolum praeſentia mitigarent, ſed et imminentia alia praecauerent. *Cura ipſa.*

THES. III.

Per alterantia et aperitiua.

Priori et poſteriori indicationi ut ſatisfieret, commendabantur prae caeteris Elix. prop. ſ. a. rhabarbarat. cum uino hiſpanic. et arcan. Tartar. liquid. praeparatum Elix. aſthmat. Mich. et ſimilia. ℞ Eſſent. mart. Zwelffer. uel Ludouic. helleborat. unc. j. Elix. prop. ſ. a. Liquor. terr. fol. Tart. ana drach. ij. M. Recip. Lap. Cancr. Corall. praep. Arcan. dupl. uel Sal. plantar. ana drach. ij. Cinnab. natiu. drach. j. M. f. puluer es aperitiu. ad ſcrupul. ij. pro doſi, item uinum medicatum. e Rad. Helen. Raſ. L. Saſſafr. ſummitat. centaur. min. abſynth. nec non infuſum et decoct. e Rad. Cichor. ſylu. Helen. Polypod. Liquirit. Herb. ueron. loco Theae uſurpandum etc. medantibus quibus aluus ſimul laxior fiebat et expectoratio optime promouebatur.

THES. IV.

Per laxantia.

Hisque ſimul ad impuritates ſeroſas euacuandas iungebantur blanda laxatiua, ex

Aloe,

Aloe, Rhabarbar. Gialapp. Mechocann; pilul. Francofurtenſ. Aleophangin. Cacheƈt. D. Praesidis et ſimilibus, quae Haemorrhoidum fluxum promouere poterant. Idem enim flluxus omnino in eiusmodi aegris cacheƈticis, ubi ſanguis adhuc abundat et turgeſcit, in uiſceribus tamen obſtruƈtis liberum tranſitum inuenire nequit, omnibus modis promouendus et, ita curandus, ne inflammatio, exulceratio aliaque mala exinde oriantur: Propterea tamen non putandum, quod omnibus aeque prodeſſe poſſit: Eſt naturae beneficium, non pro ſanis, ſed cacochymicis, obſtruƈtione uiſcerum laborantibus, et ſi caetera paria, nulla uero contraindicantia adfuerint.

Thes. V.

Quod uero Diarrhoeam, per interualla interuenientem attinet, ea quidem ſalutaris putari poterat, ad euacuandam ſeri morboſi copiam, quae alias in hoc aegro hydropem et catharrum ſuffocatiuum minari uidebantur: ſed quoniam uentriculi et in- *Tonum uentriculi conſeruantia.*

teſtinorum debilitatem et laxitatem arguebat, imo augere poterat, ideo non quidem ſupprimenda, quin potius per ſtomachica balſamica moderanda erat. ℞ Eſſent. Carminat. Abſinth. compoſ. Menth. balſam. ana unc. ß. Spiritus Vitriol. dulc. drachm. ij. M. f. Miſtura ſtomachal. etiam inter cibandum ſumenda.

THES. VI.

Aſthma et Catharrum ſuffocatiuum praecauentia.

Hisque omnibus diligenter adhibitis et continuatis, etiam aſthma et periculum catharri ſuffocatiui ſenſim remittebant, adhibita ſimul Miſtura eiusmodi praeſeruatoria. ℞ Aquae Aſthmat. uel Serpill. compoſit. Carminat. ana unc. iij. Spirit. ⊕ dulc. drach. ij. Syrup. Balſam. peruuian. q. ſ. M. St. Miſtura cochleat. ſumenda, quandocunque neceſſitas requirit. Tantum hac uice

S. D. G.

